



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 17. De Apparitione septimâ. Myst. punct. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

VOL. Certemus sub vexillo Christi, fortis in Fide & Spe futuræ illius gloriæ.

**PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM.**  
Christus dixit : *Accipite Spiritum Sanctum.*  
*Joan. 20.*

INTEL. Perpendamus, quām prompto, copiosōq;  
functus sit Dominus consolandi suos officio : dat ip-  
sis ipsum consolatorem. REFL. Sic nos quoque  
consolabitur Christus, si numeret nos inter suos,  
qui militant sub ejus vexillo.

VOL. Petamus nos quoque Spiritum Sanctum :  
*Veni Sancte Spiritus, &c Consolator optime, &c.*  
*In fletu solatum, &c.*

COLLOQ. De 2. vexillis, petendo fidem, & spem  
ac dona & fructus Spiritus Sancti.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSIUM.

## MEDITATIO XVII.

*De apparitione septimâ. Joann. 20.*

*Myst. punct. i.*

**CONG. eadem.**

PRÆL. I. Quomodo S. Thomas, qui absens fue-  
rat, protestatus sit, se non crediturum, nisi viderit.

PRÆL. II. Locum, ubi protestatio illa contigit,  
intueri.

PRÆL. III. Petere gratiam Fidei, Spei, & Chari-  
tatis.

PUN.

**P**UNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Contemplemur  
Thomam segregatum à reliquis, & solitarium.

INTEL. Non solum aberat ab aliis corpore; sed etiam mente. Nam cum alii crederent, esse vera, quæ narraverant Mulieres, & Discipuli reduces ex Emmaus (hi enim *invenerunt congregatos undecim. Luc. 24. adeòq; & Thomam*) ipse dissensit ab eis: unde & ipsi potissimum applicatur illud Lucæ ibidem: *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum, verba ista, & non crediderunt illis.* Hinc igitur cogitabundus abiit, & segregatus manxit ad aliquod tempus. REFL. Discamus hinc, quām noxiū sit pertinaciter resistere communi aliorum sensui.

VOL. Amplectamur toto corde Regulam Summ.  
42. *Idem sapiamus, idem, quo ad ejus fieri possit, dicamus omnes.* & Reg. 28. comm. *Nullusque cum alio contendat. &c.*

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. *Dixerunt ergo ei*  
*alii Discipuli: Vidimus Dominum. Joan. 20.*

INTEL. En, ut alii Discipuli verbis & rationibus bonis conati sunt membrum illud quodammodo à se avulsum conservare, & sibi iterum aggregare. REFL. Hoc à nobis etiam exigit fraterna charitas: hic est enim Spiritus Dei.

VOL. Dicamus cum Deo. Ezechiel. 34. *Quod perierat, requiram; & quod abiectum erat, reducam; & quod confractum fuerit, alligabo; & quod infirmum fuerit, consolidabo;* ad hoc verò faciendum, curemus, ut verba & rationes modeste & cum charitate afferantur. &c. Reg. comm. 28.

PUN-

**P**UNCTUM III. OPERA. MEM. Thomas mansit pertinax dicendo: *nisi videro, &c. non credam.* Joan. 20.

INTEL. Causa hujus pertinaciæ fuit genus quod-dam desolationis, & temptationis, cui, ut oportebat, non restitit. Nam oratio ejus tam perturbata indicat, quod Spiritus malus *Sophisticis argumentis quibusdam ipsum occupaverit, & quod esset in eo inquietudo, & agitatio sive tentatio... spem, charitatemque expellens:* prout desolatio describitur Reg. 4. hebd. 1. *disc. spir.* REFL. Hinc discimus, quanta mala orientur, quando desolationi non satis citò, nec satis fortiter resistitur.

VOL. Studeamus deinceps diligenter, non solum, ut ex Regulis *de discernendis spiritibus* remedia contrà desolationes probè intelligamus; sed etiam ut eadem constanter, & promptè adhibeamus.

COLLOQ. De 2. vexillis. petendo, ut possimus exploratas habere fraudes mali ducis, *invocatâ simul divinâ ope, ad eas vitandas.*

#### RECOLLECTIO.

ME.